



**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Homini laborandum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

IV. (d) Ovidius narrationem de lapidum jactibus claudens, ait:  
 Inde genus durum fumus, experiensque laborum,  
 Et documenta damus, qua sumus origine nati.

Ferendis scilicet, experiendisque laboribus natum est genus mortali-  
 lum. Concordant SS. litteræ Job. 5. *Homo nascitur ad laborem, &*  
*avis ad volatum.* Et Gen. 3. lata est à Deo in protoplastum sententia:  
*In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Dura quidem lex, sed ad virtu-  
 tem & industriam exacuendam necessaria. Unde benè Maro 1. Georg.

-----Pater ipse colendi

Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem  
 Movit agros, curis acuens mortalia corda,  
 Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Nimirum Jupiter aurei seculi tam paratam rerum copiam submovit.  
 Ut varias usus meditando extunderet artes.

Idem Poëta:

-----Labor omnia vincit  
 Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Consonat Horatius lib. 1. Sap. 9.

-----nil sine magno  
 Vita labore dedit mortalibus.

Et notum illud: *Dij omnia laboribus vendunt.* quod eleganter ex-  
 pressit Hesiodus.

Tῆς δὲ οἰκεῖας ιδεῶται θεοὶ προπάρειτεν ἔδυκαν  
 Αθανάτοι.

Ad verbum: Virtuti sudorem ex adverso posuerunt dij immortales.  
 quod Tullius lib. 6. epistol. 1. ad Leptam, sic reddidit.

Virtutem dij immortales sudore parari,  
 Atque labore volunt.

Aptè ad hæc Claudianus de nuptijs Honorij:

Non quisquam fruitur veris odoribus,  
 Hyblæis latebras nec spoliat favis,  
 Si fronti caveat, si timeat rubos.

Amat spina rosas, mella tegunt apes.

Veteri apoloigo fertur rusticus cum currū & bobus luto altius ha-  
 sse. Hic miser circumspicere, caput scabere, malam fortunam accu-  
 sare, adjutrices manus exspectare, pectus plangere, demum in genua  
 ruere,

(d) *Hominis laborandum.*

ruere, & dextram Herculis implorare. Adfuit vocatus Hercules, sed hominem increpitans: O piger, inquit, sic currum non extrahes: Abi, manus admolire, boves urge, currum promove; ita Dij aderunt vocati & juvabunt.

Procul igitur à duro mortalium genere torpor, ignavia, desidia, mollities, qualis Sybaritarum fuit, quorum aliquis cùm vidisset in agro fodientes, animo scilicet defecit. Nullum illi homines in civitatem suam admittebant opificium, quod cum strepitu exerceretur; atque adeò ne gallum quidem gallinaceum fas erat alere, ne quid esset, quod illis somnum interrumperet. Athenaeus lib. 2. Et Smyndirides perditissimus ille juvenis jactare solitus est, se à viginti annis solem neque orientem, neque occidentem vidisse; assiduò scilicet vel in lecto, vel in mensa occupatus erat, si est occupatum esse, inerti otio tempus transmittere. Quod Æneas Ascanio filio præclarissimum documentum dedit, id sibi quisque adolescentum maximè, dictum putet:

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem,  
Fortunam ex alijs.

V. (e) Quod ex lapidibus prodijisse homines ferantur, admone-  
mur, nonnunquam ex lapideis, feris, & ferreis mortalibus, aliquos  
mansuescere, & ad humanitatem redire. Nota est historia Petri cuius-  
dam telona Alexandrini, hominis avarissimi ac durissimi, qui mendica-  
bulo panem petenti, cùm lapidem circumspiceret, quem proijceret, la-  
pide non invento, panem adjecit; à quo tempore mirè mutatus, atque  
emollitus est, ut totum se in pauperes profunderet, etiam vestibus sibi  
ad eos amiciendos detractis. Neque verò humanitas ista, quæ ab ho-  
mine appellationem habet, consistit in solis, ut vulgus putat, verborum  
ceremonijs, aut nescio quibus gestuum elegantijs; sed in eo maximè,  
quod is, qui ea prædictus est, nemini nocere, omnibus benefacere ac  
prodeesse cupit; communis hominum nævos & infirmitates novit, non  
odit, & æquo tolerat animo, quoad potest, alios consilio & opera ju-  
vat: mansuetè ac mititer agit: affabilis est in congressibus, facile allo-  
quitur, leniter non fastidiosè audit; nec duriter, sed benignè ac co-  
mitem respondet; commiserationem erga alios cum quadam suavitate o-  
ffendit. Atque hoc potest recta ingeniorum cultura, & bonarum ar-  
tium doctrina, quæ ad humanitatem expolit animos, & ab insita torvi-  
tate & asperitate, quod olim in Themistocle notatum, ad amabilem quan-  
dam comitatem traducit.

H VI. Ad-

(e) *Informatio ad humanitatem.*